

summum Cælum, quamdiu non subeft Corpus, cuius administratione appetitus ille conqueſcat. Origenes quoque contra Celsum Lib. viii. in Christianis morientibus desiderium Corporis a calumniis Celsi vindicat, inquiens: *Aique bae ratione Resurrectionem quoque Iustorum desideramus speramusque.* Addit Augustinus, Apostolo abrepto in tertium Cælum & Paradisum, hoc defuisse ad plenam perfectamque cogniti nemerum, quæ Angelis inest. *Hoc utique non deerit, quum receptis Corporibus in Resurrectione Mortuorum, corruptibile hoc induetur incorruptione.* Itaque in Resurrectione Carnis augebitur tum Iustorum Beatitudo, tum Improborum miseria: & Corpus, quo nunc Anima gravatur, ineffabilibus dotibus tunc ornatum, ei ad majorem gloriam sociabitur. Habemus ergo, dummodo iustitiam hec amemus, & opere compleamus, unde Spes nostra & gaudium augeatur, ubi beatam illam immutationem contemplemur, quæ non minus Animam perfecta felicitate, quam Corpus felicissima immortalitate donabit.

Porro Burnetus contra Theologiam Pontificiam bellum continuat, inquiens, enervari immo inutilem reddi Resurrectionem, si beatitatem Animæ in Regno Cœlesti anticipemus. Quantillum est, inquit pag. 26. quod nobis accedit a Resurrectione, secundum hos Theologos? Quam male convenit illis cum Sancto Paulo! Hinc suum præmium unice repenit: *bine suam cororam Apostolus.* Hinc aliis contra vim mortis, aut malorum quorūcumque, consolationem maxime arcessit. Postremo, quod Paulus noſter 2. Corinθ. iv. 17. aeternum pondus gloriae appellat, id illi levis superpondi loco habent. Ita ille: *cui responsum velim, indulgere nimis genio suo, quicumque adeo fidenter statuit varia Scripturarum loca respicere ad unum tempus Resurrectionis, in fine tantum Mundi faciendæ.* Jam animadvertisimus aliter sensisse divinum Magistrum, aliter ejus Apostolos. Locus ipse Pauli nuper laudatus, videlicet: *Id enim, quod in præſenti est momentaneum & leve tribulationis noſtræ, supra modum in ſublimitate aeternum Glorie pondus operatur in nobis, ſententia noſtræ conſertaneum est.* Neque enim Apostolus ejusmodi Gloriam differt usque ad excidium Mundi, ut ſibi Burnetus perſuadet, ſed ſtatiuſ post exēſitum e vivis. Iuſto homini tribuendam tradit, quum cap. v. ſequenti subdat, melius nobis eſſe peregrinari a Corpore, & præſentes eſſe ad Dominum: uti ſupra vidimus. Quid tamen in quæſitione hujusmodi præſertim conſiderandum venit, duplice ob cauſam ſummi momenti eſt in Christiana Religione dogma, & Spes Resurrectionis. Nam ad Corpus quod attinet, ejus reſtitutionem ad vitam pauci aut nihil facere videtur Burnetus; & contra pro ingenti dono iuſtis conſerendo Scriptura ſacra, & veteres qnivis illam habuerunt; quod nempe corruptibile hoc indutorum ſit incorruptionem, & per ejus ſociatatem multiplicabitur in ſeculorum fine Animabus iuſtis lætitia. *Seminatur in corruptione,* inquit Paulus Prima ad Corinth. xv. 42. *Surget in incorruptionē: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria &c.* Altera cauſa eſt, Resurrectionis quidem nomen reſpicere ad unum Corpus, quod